

X 186 2347

II h  
580

כ"ט

8. K.  
428,  
4.

DEORVM GENTI-  
LIVM PRÆCIPVORVM  
ORIGINES EX SACRA  
SCRIPTVRA DERIVATAS  
SVPERIORVM INDVLTV  
DISSERTATIONE HISTORICO-  
PHILOLOGICA

PVBLICÆ CENSVRÆ EXPONVNT  
PRÆSES

M. JOHANNES Hoffmann/

TEVCHELLA-SCHWARTZBVRGICVS  
POETA LAVREATVS CÆSAREVS

ET  
RESPONDENS

ANDREAS Rötzel/ Salfeldensis.

AD D. AVGVSTI ANNI cō Iso LXXIV.

JENÆ,  
LITERIS JOH. JACOBI BAVHOFERI.





GEORGE  
GIPVORVA  
LADY  
M. D. 1711  
OF THE

IN THE  
OF THE  
OF THE





באלהים:

CAPVT I.  
DE IOVE.

SVMMARIVM.

Nomen IOVIS descendit a Jehova. Adducuntur sententiae huius patroni. Per quos יהוה ad gentiles pervenerit. An per Tyrrhenos. Quinam hi Tyrrheni fuerint. Alii Tyrrhenos hos ab Atys filio nomen habere dicunt. Alii a Tyrrhenis Phoenicibus. Hebraea & Phoenicia lingua non multum differunt. Bochartus hos Tyrrhenos Pelasgicae originis esse censet. Et a Phoenicibus & a Graecis יהוה ad gentiles pervenire potuit. Probat, quia Phoeniciorum יהוה, item יהוה non nisi diversa punctatione ab Hebraeorum יהוה differt. Unde Graecorum Ἰάω. Adducitur autoritas Frischmuthiana. Ab Hebraeorum יהוה etiam potuit descendere, sicuti εἰς & alia Graeca vocabula juxta Fullerum. Dubium ex Actor. XVII. 23. ara ignoti Dei Atheniensium. Solvitur. Ab ipsis etiam Hebraeis יהוה ad gentiles manare potuit. Nec obstat rara & occulta pronuntiatio. Veteres Judaei eam non observarunt. Cur nomen יהוה dicatur Ἰάω. Occulta etiam & rara pronuntiatio ad gentiles pervenire potuit. Refutatur Cappellus. IOVIS minus recte derivatur a juvando. IVPITER juxta Latinos non videtur vox hybrida, licet secundum nos. IOVIS genuinus olim fuit Nominativus. IVPITER quasi JOVISPITER dicitur. Pro voce IOVIS licet non legatur JOVA, tamen descendit ex יהוה. Probabile est esse ex יהוה & אִישׁ. Refutatur ultimum Cappelli argumentum. Item sententia Kippingiana.

A 2

§. I. No.



§. I.



Omen JOVIS natales suos Hebræo יהוה  
 debere, eruditissimi sane viri existimant:  
 quos inter sunt *Melchior Goldastus* in notatis  
 ad *Columbani Abbatis* carmina p. 90. 91.  
*Christian. Becmannus* in *manuduct.* ad La-  
 tin. Ling. p. 560. *Samuel Petitus* l. 2. *Miscell.*  
 c. 2. *Wilhelm. Stuckius* de sacrificiis gentiliū p.  
 16. & 33. *Seldenus Syntag.* II. de *Djs Syris.* c. 1. p. 203. *Fullerus* l. 2. *Mi-*  
*scell.* c. 6. *Gerhard. Joh. Vossius* in *Lexico Etymol.* p. 274. seq. *Sche-*  
*dus* de *Djs Germ.* p. 232. *B. Dillherrus* *Disp.* de *κακοζυλία* gentil.  
 p. 169. *Dickinsonus* *Delph. Phœniciz.* c. IX. p. 78. 79. *Majolus* tom.  
 2. *dier. Canic. colloq.* i. p. 49. ubi sequentia affert. *Διός* apud *Græ-*  
*cos*, *JOVIS* apud *Latinos* nomen idem est cum *Hebræorum* יהוה. *Jovem*  
*ferme omnes gentes inter numina habuerunt, & præcipuis affecerunt ho-*  
*noribus, tanquam cæterorum principem. Conservata enim est memoria*  
*vocis יהוה cum obscuro de uno vero Deo somnio & post abolitam do-*  
*ctrinam huic de uno vero Deo somnio addita sunt magna agmina*  
*commentitiorum numinum. Quæ verba etiam habentur apud*  
*Casp. Peucerum* lib. de *divinat.* p. m. 210. Et alibi sic scribit:  
*Διός & Jovis utraque vox ex Hebræa voce יהוה defluxisse videtur*  
*consentaneum. Quam sententiam etiam fovet Hugo Grotius*  
*Comment. in N. T.* p. 379. his verbis: *Tyrrheni, qui ab orien-*  
*te in Italiam cum cæteris sacris nomen hoc attulerunt, ita legisse vi-*  
*dentur, uti nunc scribitur, JEHOVA. Inde enim Latinum JOVIS*  
*esse non dubito. Sed & Afri, ni fallor, ab iisdem Tyriis Carthaginis*  
*Conditoribus nomen idem eodem sensu acceperunt, nam apud illos quo-*  
*que Deus vocabatur יֵסֶבֶס, quod Latinis corrupte JUBA dicitur, quo*  
*nomine & Reges Afrorum sunt appellati.*

§. II. Hi itaque auctores omnes huic derivationi favent:  
 sed in hoc non conveniunt, per quos hæc vox יהוה ad Lati-  
 nos fuerit delata. Operæ ergo pretium censemus, qui rem  
 paulo intimius in considerationem vocemus.

§. III.

§. III. Multi putant a Tyrrhenis in Italiam appellen-  
tibus ad Latinos esse delatam: cui sententiæ etiam favet ipse,  
ut vidimus, Grotius. Quinam vero hi Tyrrheni fuerint,  
iterum dissentiunt. Hoc nomen quidam adscribunt Tyr-  
rheni Atys filio, qui e Lydia colonos in hanc regionem de-  
duxisse fertur. Atys enim sterilitate ac fame populum su-  
um emittere coactus, e duobus filiis, sorte jacta, Lydum (a  
quo regio nomen habet, ante enim vocabatur Mœonia) re-  
gni successorem retinuit; Tyrrhenum vero cum magna in-  
colarum manu ad quærendas novas sedes emisit, quas postea  
in Italia fixisse eum ajunt. Sed hos *Bochartus* l. i. c. 33. *Geo-*  
*graph. sacr.* erroris ac lapsus accusat.

§. IV. Alii hos Tyrrhenos à Tyro ortum trahere, à-  
deoque e Phœnicia in Italiam devenisse sentiunt: quam sen-  
tentiam amplectitur *Fullerus* l. i. c. 6. p. 77. aperte scribens:  
*Phœnicos seu Tyrios non modo in Græciam & universam Hispaniam*  
*pervenisse, sed etiam interjectam Italiam lustrasse, à deoque incoluisse.*  
*Ab his originem traxit gens Tyrrhena s. Hetrusca.* Et hos Tyr-  
rhenos intelligit etiam *Grotius* l. c.

§. V. Jam vero negatum ire non possumus, inter  
Hebræam ac Phœniciam linguam parum discriminis inter-  
cedere, ac utramque illam nonnisi affini quadam dialecto  
inter se discrepare, ceu variis exemplis hoc demonstravit *Bo-*  
*chartus* *Geogr. S.* l. 2. c. 1. p. 778. adeoque stante hoc asserto,  
facile fieri potuisset, ut ab his Tyrrhenis Latini nomen JO-  
VIS, ceu mox videbimus, accepissent. Verum in refutanda  
hac *Fulleri* sententia multus est *Bochartus* de Phœnicum Co-  
loniis l. i. c. 33. p. 645. adeoque hos Tyrrhenos non Phœ-  
nicii, sed Pelasgici h. e. Græci generis esse contendit, ad-  
ducens etiam *Dionysium Halicarnasseum* Phœnicos fuisse ne-  
gantem: quo cum tamen *Bochartus* non consentit in eo, quod  
ille statuit *αὐτόχθονας* h. e. indigenas fuisse. Quod autem

Bocharto hæc sententia placuerit, miratur *Dikinsonus*, qui itidem *Fullero* accedit, hos Tyrrhenos a Tyro originem trahere existimanti. Quorum litem ut jam componamus, nostrum non fert institutum.

§. VI. Ne tamen nimium extra oleas vagari videamur, ad scopum redimus. Sive jam hos Tyrrhenos aliquis Phœniciaë s. Pelasgicaë h. e. Græcæ originis putet, statim apprehendet, nomen יהוה ad Tyrios, a Tyriis ad Græcos & a Græcis ad Latinos haut difficulter pervenire potuisse. Tyrii enim seu Phœnicii idem nomen Tetragrammaton, quod Hebræi, sed quoad vocales paulo immutatum, usurpabant, nempe יהוה, quod *Philo Byblius* Ἰεωὶ reddidit: alii vero Phœniciorum יהוה scripserunt, ut *Orpheus*, per quem in Græciam id nominis manasse dicitur. Vide celeberrimi Viri DN. JOHANNIS Frischmuthen / Orientalium in hac Salana P. P. dudum meritissimi, Fac. Philosoph. amplis. SENIORIS gravissimi, Præceptoris ac Patroni nostri summe venerandi, limatissimam Disp. de *Nomine Messie glorioso, Jehova Justitia nostra* cap. I. §. 16. Ab hoc יהוה sine dubio postea factum est Græcorum Ἰάω, quod nomen usurpatum videmus a *Diodoro Siculo*, qui Julii Cæs. & Augusti temporibus vixit, hujus vocis in Biblioth. hist. l. i. part. 2. mentionem injiciente, quando de Legumlatoribus antiquis inter alia sic differit: παρὰ δὲ τοῖς Ἰσραήλινος Μωσῆν τὸν Ἰάω ἐπικαλέμενον τὸν θεὸν ἀποποιήσασθαι τὰς νόμους αὐτοῦ δίδοναι. i. e. apud *Judeos* *Mosen* finxisse *Deum illum*, qui *IAO* cognominabatur, *leges ipsi tradidisse*: item ab *Oraculo Apollinis*, cujus *Macrobius* mentionem facit *Saturnal.* l. i. c. 18. p. m. 149. consulto quis *Deorum* habendus esset, qui vocatur Ἰάω hæc inter alia effatus dicitur:

φεράζω τὸν πάντων ὑπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω.

*Cunctorum summus divorum habeatur IAO.*

§. VII. Hoc nomen Ἰάω ex ipso etiam Hebræorum יהוה

(præ-

(præsupposita punctatione יהוה, de qua quidam controver-  
tunt, quam controversiam tamen jam non facio meam)  
componi potuisse non est improbabile. Non autem pu-  
tandum, ac si 'Iáω sit ex ultima syllaba vocis יהוה nempe ה, ut in יהוה, quia ה est monosyllabum, 'Iáω vero trisylla-  
bum, quin potius 'Iáω est ipsum יהוה. Diversitas oritur ex  
Græcæ Linguæ pronuntiacione, quæ h. l. ה prius elidit, con-  
verso Scheva in α, ut in σαβαώθ &c. Deinde ׀ abjicitur. Deni-  
que Kametz una cum ׀ litera quiescente exterminatur. Cum  
vero τ& Kametz exterminatione non opus fuerit, hinc putat  
Fullerus Misc. sac. l. 2. c. 6. p. 193. aut mendam subesse, aut me-  
tathesin ex molesta forsitan nominis peregrini prolatione natam, &  
'Iáω ordine recto scribendum & pronuntiandum esse. Et hac ra-  
tione egregiè exprimitur nomen יהוה; licet non literarum,  
Syllabarum tamen numero. Attinguntur vero in 'Iáω po-  
tiores vocales, nempe α & ω, quæ divinam naturam Apoc. l.  
8. designant. Sed prior sententia huic meritò præfertur.  
Sunt quidem adhuc alia nomina Græca Jovi attributa, quæ  
cum nomine יהוה videntur convenire, quæ vide, sis, apud  
Fuller. l. c. Bochartum part. II. l. 1. c. 18. Schedium de Djs Germ.  
p. 282. Dickinsonum c. X. p. 104. Insuper etiam alia extant no-  
mina, quæ ab Hebræis ad Græcos, a Græcis ad Latinos viden-  
tur delata, ut inter hæc est nomen Vesta, quod a Græco ἑστία,  
ἑστία autem est ab Hebræo אשׁוׁת I. ignis Domini. Hinc Græci  
ἑστία Deam fecerunt, cujus vis ad aras & focos pertinet. Vi-  
de Peucerum de divinat. p. 299. item Dickinsonum Delph. Phœ-  
nic. c. XI. p. 115. Et hinc liquidum est, nomen יהוה ad Græcos,  
à Græcis ad Latinos deferri potuisse.

§. VIII. At dicis: Tetragrammaton DEI nomen Græ-  
cis non potuit esse notum, quia Actor. XVII. 23. Athenienses  
Deo ignoto aram exstruxerant: ubi per Deum ignotum quidam  
intelligunt Tetragrammaton illud nomen, quos inter sunt

Hein-

*Heinsius Exerc. sac. in h. l. & Vossius part. I. Theol. gentil. l. i. c. 2.*  
 At respondetur nomen illud h. l. non intelligi, sed *DEUS* dicitur *ignotus* Atheniensibus, vel quia certum nomen, quod ei sine errore offensionis & religionis metu tribuerent, ignorabant, & dicere non poterant, an esset Jupiter, Mars vel alius, a quo tantis beneficiis maectati erant; vel etiam ob sexum dubium, quales incertos Deos & Græcos & Romanos olim habuisse annales testantur. Vide plura hac de re in Dissert. sub præsidio incomparabilis Viri, Dn. *JOHANN-ANDRÆ BOSII*, Historiar. P. P. longè meritissimi b. m. Præceptoris ac Patroni nostri desideratissimi, A. 1659. hic Jenæ habita: item apud *Saubertum* de Sacrificiis veterum c. 3. p. 56. Sed ponamus etiam, per *Deum ignotum* illud nomen Tetragrammaton intelligi, in quam sententiam etiam *Saubertus* inclinat c. I. p. 58. nostra tamen adhuc suo stabit talo, siquidem origo nominis *Ἰάω* apud Græcos, adeoque Athenienses etiam, successu temporis facile evanescere potuit, sicuti nomen Jovis apud Latinos. Nam diu ante nomen *Ἰάω* apud Græcos in usu fuisse in propatulo est.

§. IX. Licet itaque vel maxime etiam nomen יהוה neq; per Tyrrhenos seu Phœnicios neque per Pelasgicos sive Græcos præcise ad Latinos traductum fuerit; aliunde tamen vel per famam, vel per mutua Hebræorum cum gentilibus commercia nomen hoc innotescere potuit. Quis enim dubitaret gentem Hebræam, quam Deus ex omnibus terræ populis in peculium sibi delegerat, in toto terrarum orbe celebrè fuisse? cur ergò ipsorū *Jehova* ubiq; fama non floruisset? Et sine dubio etiā ideo notus esse voluit, quo reliqui gentes tanti Numinis celebritate excitati facilius a suis Diis abstraherentur, & ad ipsum converterentur. Præterimus nunc stupendum Salomonis templum, cujus fama sine dubio ubique etiam percrebuit, quomodo ergo ille, in cujus honorem & cul-



cultum templum erat exstructum, ignotus esse potuisset? Hinc etiam plus simplici vice in sacris Pandectis legimus, famam de his vel illis rebus in singulis circumjacentibus regionibus, quæ h. l. ita stricte sumi nequeunt, fuisse dispersam: quæ omnia deinceps magis magisque fuerunt disseminata, institutis gentium migrationibus & longinquis navigationibus & commerciis. Hinc successu temporis gentilium Jovem, Satanæ fraude ac astu interveniente, ex Hebræorum יהוה formatum esse admodum probabile est.

§. X. Neque est quod quis objiciat, Judæos nomen יהוה non *Jehova*, sed אדוני *Adonai* pronunciasse, ut igitur Latinorum Jovis inde formari non potuisset? Resp. verum esse, quod Judæi ex nimia superstitione severissima sub pœna, qui contra iret, ab hujus nominis pronunciatione abstinuerint, ac aliud, nempe אדוני, substituerint, quod, excepta publica Sacerdotum benedictione Numer. VI. 24. 25. in templo Hierosolymitano & festo Propitiationis, usurparent: de qua superstitione vide pluribus *Buxtorffii* in Lexicon in nomine יהוה p. m. 156. *Saubertum* c. p. 58. *Fesselium* in Adversariis sacris l. i. c. 16. ubi superstitio hæc refutata est pluribus. Verum an veteres etiam Judæi superstitionem hanc observarint, merito dubitatur. Suffragantem habemus laudatissimum nostrum Præceptorem ac Promotorem Dn. *Johannem Frischmuthen* l. c. §. 16. hæc proferentem: *Seculis antiquioribus nondum receptum fuisse, ut nominis hujus pronunciatione abstinerent, neque gentibus eam occultam fuisse, satis ex Scriptura patescit & exempla Hiram & Rabsacæ I. Reg. V. 7. II. Regum XII. 22. docent. Item Fesselium c. l. p. 86. ubi dicit: Superstitiosis his ac excæcatis Judæis permulti veterum Hebræorum contradicunt, de quibus Galatinum & Buxtorffium consule. Quod autem nomen יהוה אֱלֹהֵינו dictum a priscis Judæis, id intelligi debet non soni ratione, sed significationis, aut potius rei significatæ, quæ suffici-*

B

enter

enter nullo nomine exprimi potest. Addi quoque potest, quia temere non est usurpandum, sed cum reverentia & in rebus seriis. Ascensum etiã præbet Cappellus in Defens. Diatribæ de nomine יהוה in fine. Vide etiam celeberr. Dn. D. *Wasmuthi* Disp. de Jehova, quæst. 13. §. 25. seqq. Posito hanc occultam pronunciationem semper fuisse observatam, ad gentes tamen pervenire potuisse probabile videtur, quia non omnino illa abstinuerunt, sed in benedictione sacerdotali & Sacro piaculari hoc nomen pronunciarunt. Hinc quo occultior & rarior, eo admirabilior etiam fuit, & inde facile hæc dispergi potuit.

§. XI. Quanquam nunc ad oculum pateat, Latinorum Jovis esse mutuatum nomen ex יהוה, nihilominus tamen habemus etiam nostræ sententiæ antagonistas, inter quos tenacissimus nobis videtur *Ludovicus Cappellus* in Diatribæ suæ de nomine יהוה Defensione contra *Gatakerum*, quo scil. facilius suam sententiam erroneam, quod olim non יהוה sed יהוה fuerit punctatum, obtineat. Quam sententiam refutatam vide in laudata Disp. Dn. D. *Wasmuthi*. Nos jam ejus argumenta ordine sumus ponderaturi ac visuri, annon a nobis possint infringi.

§. XII. Primum ergo Cappelli argumentum est, quod eum *Varrone* JVPITER a JVVANDO melius, quam ex Linguis diversis, ne ita voces hybridas fingere necesse habeat, deduci posse judicet, ut sic JVPITER dicatur quasi JVVANS PATER. Resp. verum esse, quod Scriptores nomen Jovis a JVVANDO derivent: ita enim *Lactantius*, l. i. de falsa relig. p. m. 22. ait: *Jovem Junonemque a jvvando esse dictos Cicero interpretatur*. Et hanc ob derivationem Poetæ etiam primam Jovis syllabam corripuerunt. Verum hæc adducta derivatio & primæ syllabæ abbreviatio ex imperitia Hebraicæ Linguae adeoque oblivione genuinæ hujus derivationis promanasse videtur. Succesu enim

enim temporis hanc vocem in Latinam degenerasse & hinc auctores adductam etymologiam plane sibi persuasisse probabile est. Dictis etiam suffragatur *Peuceus* de divinat. p. m. 138. *Retinuerunt Græci & Latini ex veterum monumentis multa auctorum suorum & majorum nomina, etiam postquam penitus evanuisissent & periissent historiae.*

§. XIII. Quod attinet vocem *Jupiter*, Cappello dispicere incumberebat, num apud Grammaticos antiquos *Jupiter*, an potius *Jovis* genuinus fuerit Nominativus? certe ex *Prisciano Fullerus* Miscell. sac. l. 2. c. 6. p. 196. & ex *Ennio, Varrone, Hygino Dickinsonus* in *Delphis Phœniciz*. c. IX. p. 79. notant, non *Jupiter*, sed *Jovis* in usu fuisse. Vid. *Grammat. Rhenii* p. 58. *Jupiter ab antiquo Jovis. Jupiter* autem videtur descendere ex antiquo *Jovispiter*: sublata jam syllaba *is* fit *Jovpiter* & tandem *v* in *p* mutatum fit *Juppiter*, ut adeo non sine fundamento per *pp* scribi posse videatur, ceu observat *Fullerus* l. c. p. 197. Vide *Dillherrum* in *Disp. de κακοζηλία gentilium* l. c. Quod autem *Jupiter* seu *Jovis-piter*, si primam spectes originem, sit vox hybrida, dum est ex *Jovis*, *Jovis* autem ex *Jehova* & *pater*, non negamus. Num vero Latini studio ac scientes hybridam hanc compositionem fecerint, valde ambigimus. Tum temporis enim, ubi hæc vox composita fuit, Latinis de origine nominis hujus *Jovis* nihil amplius constabat, ceu ante vidimus, sed mere Latinam putabant. Nos Christiani vero circumstantiarum hujus vocis melius periti, si diversæ originis hanc vocem esse affirmamus, neque fallimus, neque fallimur.

§. XIV. Alterum Cappelli argumentum est: Si *Jovis* a *Jehova* descenderet, potius scribendum fuisset *JOVA*, quam *JOVIS*. Sed resp. quod circa ultimæ syllabæ terminationem tanta ἀκριβεια non sit quærenda, siquidem id in hominum arbitrio positum erat, *Jovis* an *Jova* pronunciarent. Deinde ipse Cap-

pellus fatetur, quod in etymologiis exigua, aut fere nulla vocalium, sed consonantium debeat haberi ratio. Hinc etiam circa Kametz in יהוה adeo non fuisset laborandum. Si tamen conjecturis locus detur, forsitan responderi etiam possit, quod nomen Jovis sit compositum ex יהוה & אִישׁ vir; facile enim illa Evæ verba: קִנִּיתִי אִישׁ אֶת־יְהוָה ad gentiles pervenire potuerunt. Conjecturam corroborat, quod gentilium Jovis Cainum etiam repræsentare videatur ceu infra peculiari Capite, adducemus.

§. XV. Ultimum Cappelli argumentum in eo consistit, quod vero consentaneum non videatur, Deum passum esse, ut Satan, qui sub Jovis nomine delitescerat, augustissimum & propriissimum ipsius nomen sibi usurparet. Resp. Tunc demum forsitan Cappellus aliquid obtineret, si Satanas integrum hoc nomen, nempe Jehova, sibi vindicasset, & sub hoc coli voluisset: quod citra dubium etiam fecisset: verum vel non poterat, quia Deus ipsi id non permittebat, vel etiam, quia non volebat, ne scilicet fraus ac impostura sua manifestaretur; Gentiles enim vix Judæorum Deum adeo dignati fuissent, ut ejus nomen suo tribuerent. Hinc quo facilius miseros homines in suo errore stabiliret, id nominis voluit forsan mutilare & in hoc etiam Dei agere simiam. Num vero ex tali κακοζηλία gloriæ Dei aliquid decedere posset, dubitamus.

§. XVI. Concedit itaque Cappellus, nomen יהוה ad remotissimas etiam gentes delatum esse; concedit, & necesse est concedat, reliqua summi Numinis nomina in V. T. ipsi adscripta magnam partem per abusum gentilium Diis, inprimis Baccho, ceu seq. Capite videbimus, attributa esse. Miramur itaque, Cappellum hæc non considerasse, ac ad deserendam erroneam suam sententiam ex aliis hic aallatis circumstantiis adduci non potuisse. Si enim alia DEI nomina gentium Deastris fuere adscripta, quomodo augustissimum hoc

hoc DEI nomen יהוה a Satana intactum manere potuisset? Errat ergo Cappellus, hanc derivationem negans, ut hactenus satis, ceu confidimus, ostensum.

§. XVII. Verum dum huic Capiti ultimam imponimus manum, alius huic sententiæ adversarius sese offert, nimirum M. Henricus Kippingius, qui lib. I. Antiq. Rom. p. 48. affirmare non dubitat, nomen JOVIS non Hebraicæ, sed Græcæ esse originis, nempe ex Διός. Et ab hoc Diospiter, ut adeo Διός Cretensum, PITER Latinorum veterum sit, factum esse ait. Corruerunt sensim & omissa prima litera D, factum est JOSPITER, JOVISPITER, JVPITER, vocali O in viciniorum U mutata, & pro Vaf inserendo literam cognatam alteram P: nam antiqui scribebant Jupiter. Sed cum hæc recensere, sit refutare, quod nemo non videat, hanc derivationem esse invitam, tortam atque hybridam studio factam; non erit forte, cur in illa refutanda tempus & chartam perdamus.

## CAPVT II.

DE

# NOMINIBVS DEI APPELLATIVIS BACCHO ADSCRIPTIS.

SVMMARIVM.

Baccho multa epitheta veri Dei ex V. T. sunt attributa. Nomen Bacchi ex יהוה, vel ex כבד pro explicatione solite acclamationis ελεεῦ videtur descendere. Præfertur Dickinsoni sententia, qui id derivat ab Arab. دَبَّحٌ دَبَّحٌ. Nomen Dionysius non derivatur ex יהוה כסו, neque ex Διός & υἱός, sed ab Arab. دَبَّحٌ & دَبَّحٌ per metathesin. Συροταλι vox Arabica. Δυσάρις quid. Sabazius est Hebræorum צבאיה. Adoneus est ex Hebræo אדני.

B. 3

Hues

Hues & Attes ex  $\Psi\aleph$   $\aleph\aleph$ . Thriambus a Syro  $\text{ܠܝܢܐܘܒܝܬܐ}$ .

Brisæus non ab Italica voce brescia, sed Chaldaica  $\text{ܒܪܝܘܨܐ}$  descendit. Sileni, Bacchi Comititis, fabula unde orta. De eo quid Justinus Martyr. Prophetia de Schilo horrenda depravatio. Probat (1) quia Sileni nomen ex Schilo. Non est a  $\text{ܫܠܐ}$ , sed a  $\text{ܫܝܠ}$ . (2) A doctrina. (3) Quia asino inequitavit. (4) Ab uvarum calcatione. (5) Ab oculorum rubedine. (6) A casei & lactis esu & usu.

§. I.

Quemadmodum non facile in toto V. T. Scripturæ Sacræ reperitur nomen aliquod summo ac æterno Numini attributum, quod nefandus ille humani generis hostis ac nequissimus & ipsius Dei & oraculorum divinorum illusor non audacter involaverit, perverterit, ac sibimet ipsi sub Diis gentilium delitescenti impudenter adscripserit: Ita nullum horum Deastrorum plura epitheta ex Scriptura S. petita accepisse, quam famosissimum illum BACCHVM, sequentibus sumus demonstraturi.

§. II. Quod ipsum nomen BACCHI attinet, hoc Fullerus ex ipso Tetragrammato vult deducere, quando Appendice de hoc nomine p. 781. hæc scribit: *Quid aliud sono representat 'Ιωβαχχος apud Græcos quam JEHOVA sive JOVAH verum templi Hierosolymitani Deum: quem gentiles astu Satanae fascinati in turpissimum Bacchi idolum transmutarunt. Perinde etiam atque 'Ιαχχος sacrosanctum Hebræorum JAH exhibet. Eadem etiam mens est Hugonis Sanfordi l. 1. de Descensu Christi ad inferos p. 26. Vosii l. 2. c. 14. de Idol. p. 192. Bocharti l. 1. c. 18. p. 479. qui affirmat, quod ex  $\text{ܒܚܝܘܨܐ}$  in  $\text{ܒܚܝܘܨܐ}$  Bacchus facile potuerit fieri, quia V sæpe in Græcorum B mutetur; e. g. Virgilius Βιργίλιος &c. Et hanc derivationem non improbat etiam*

B. Dill-

B. Dillberrus in Disp. de χειροζήλ. gent. p. 171. quatenus scilicet illa Græcorum acclamatio ad Bacchum facta ἐλελεῦ Ἰακχὲ similitudinē laudiciniū Judæorū Ἀλλελλῖα repræsentet; quatenus vero hæc insana acclamatio idem est ac Hebræorū הלילי helilu h. e. ululate; commodius tunc Bacchus descendere videtur ab Hebræo הלל, quod est ejulare aut lamentari. Assertum hoc posterius confirmat alia hujus tenoris ad Bacchum facta acclamatio, nempe εὐοι, Evoie, unde etiam Evæus dictus, quæ etiam Hebraicæ videtur originis, אבוי i. e. eheu. In his enim sacris

— — tremulis ululatibus æthera complent.

Huc accedit quod Proverb. XXIII. 29. 30. dicitur: cui vae morantibus super vino. Qua sententia stante, videmus quomodo infensissimus ille divini nominis ac gloriæ hostis omnia, quæ veri Dei cultores in laudem ipsius instituerant, in contrarium, ludibrium ac contumeliam scelestissime detorquere ausus fuerit.

§. III. Verum hæc quanquam sententiæ suum possint mereri calculum, illa tamen hisce palmam præripere nobis videtur, quam affert Dickinsonus in Delph. Phoen. c. X. p. 106. ubi non solum Bacchum a solita Arabum ingeminatione

بَغْ بَغْ, quando rem aliquam laudarent vel admirarentur, nomen accepisse ait. Arabibus enim بَغْ significat grandem, magnum, præclarum. Hinc addit Dickinsonus: Arabes igitur, ut verisimile est, quocumque Dionysium (quem solum arbitrantur Deum esse,) laudabant, admirabantur aut venerati sunt,

بَغْ بَغْ clamare solent. Unde Græci Διονυσίου quoque

Βάκχον dixerunt. Addit insuper, quod per Bacchum hunc

ejusque appellationes tum apud Arabes, tum apud veteres

teres Græcos ipse *Jehova* fuerit indigitatus ac invocatus; verum postea recentiores Græci ex imperitia Hebraicæ & Arabicæ Linguæ ex hoc Baccho *præsidentem ac Deum temulentiae* fecerunt: quæ sententia nobis non displicet.

§. IV. Hic *Bacchus* a Græcis etiam vocatur Διόνυσος, quam vocem *Bochartus* quidem ex eo formatum esse opinatur, quod Deus Exod. XVII. v. 15. vocetur יהוה נסי, atque ita illam vocem græcam hybridam esse. Verum quantum ad hanc derivationem (ut nobis videtur) recte iterum dissentit *Dickinsonus* in *Delph. Phoen.* c. X. p. 108. vocem illam pure Arabicam esse ostendens, eamque nihil aliud denotare, quam *Dominum Sinae* seu *Sinai* ex Psalm. LXVIII. 9. Constituitur enim, inquit, ex *قن* Dominus & *سنا* Sina.

*Sina* autem vel *Syna* per metathesin fit *Nysa*. Vid. *Hugon. Sanford.* l. 1. de Desc. Christ ad infer. p. 30. Sententiam corroborat rerum gestarum tam *Mosis* quam *Bacchi* non multum discrepans convenientia, ceu peculiari Cap. id videbimus. Ex *Duniso* autem, nomine leniter duntaxat inflexo, factum postea est DIONYSIVS. Hinc ne *Vossio* quidem possumus accedere, qui lib. 1. c. 19. p. 76. τὸ Διόνυσος inde deducit, quod idem sit atque Διὸς υἱὸς i. e. *Jovis filius* facta literarum transpositione.

§. V. *Bacchus* & εἰγάλας etiam ab Arabibus nomine insignitur, seu ut *Dickinsonus* vult, ὀλατάλ, quæ vox apud Arabes idem est ac *Deus excelsus* vel *supremus*. Arabes enim *Dionysium*

solum Deum judicabant. Hunc etiam Deum ipsi *قن الواسع*

*Dsu Shara* appellabāt. Unde Græca vox Δυσσάγης nata est, quæ idem est ac *Bacchus*, quod etymo *Vossii* præferimus, qui Δυσσάγης derivat ex *שׂר* gaudiū & *שׂר* terra, quasi lætitia terræ & mor-



mortalium. Hinc patet cultum Dionysii ex Arabia delatum, nec aliud eo nomine quondam significatum esse

quam *لِسْمِ وَجْهِ* Dominum Sinæ, hoc est, *Jehovam*. Vide hac de re plura apud *Voss*. de Idol. l. 2. c. 8. p. 177. & *Dickinsonum* in Delph. Phoen. c. X. & ab hoc allegatum celeberrimum Dn. *Eduardum Pocockium*.

§. VI. Sicuti Jovi gentilium; ita & Baccho tribuitur cognomen *SABAZIVS* (sive etiam, ut *Vossius* vult, *SABADIVS*, qui se ita scriptum reperisse ait, probatq; , quia ζ & δ juxta *Platonem* interdum convertantur,) ceu id non solum ex antiquis inscriptionibus, quas vide apud *Dillherrum* in sæpius laudata *Disp. de γαροζηνλ*. gentilium; sed etiam ex *Aristophane* in *Vespis* constat, ubi hæc habet:

—— ——— ὑπὸς μ' ἔχει πῖς ἐκ Σαβαίου:

i. e. *Sopor me incesit ex Sabazio.*

Quod cognomen non a *Sabasmis*, ceu quibusdam placet, hoc est, tripudiis & furiosis saltationibus in hujus idoli festo celebratis, neque a *σαβάζειν*, id est, *Sabbathum feriari*; sed manifeste ab Hebræorum *צבאות* *Zebaoth*, hoc vero a *צבא* *exercitus, militia*, dicitur. Hinc epitheton hoc in *Deuteronomio* aliisque *S. Scripturæ* locis non raro occurrit ac plerumque Deo tribuitur severe aliquid mandanti. Miramur ergo hic *Kippingium*, quod l. i. c. XI. p. 76. *Antiquit. Rom.* hujus sententiæ patronos erroris accuset, cum nullam addat causam: non enim sufficit dicere, sed probare.

§. VII. Bacchus appellatur porro *ADONEVS*, quæ appellatio sine dubio etiam desumpta est ab Hebræo *אדון*, quo nomine Deus sæpe insignitur in sacris *Pandectis*. Qua voce utitur etiam *Hejychius*: *Ἀδωνίς ὑπὸ δεσπόνης ποικίλων*. Unde *Laconibus* *Kīgis* & *κῆρης* *Adonis* dictus. Ita quoque in illo epigrammate *Ausoniano* 29. vocatur:

C

Ogy-

Ogygia me Bacchum vocat,

Osirim Ægyptus putat &c.

Arabica gens ADONEVM.

Vide de hac voce plura apud Voss. de Idol. lib. 2.

§. VIII. Idem Bacchus audit etiam HYES vel HVES & ATTES in barbaro illo bacchantium epiphonemate: 'Ευοί, Σαβοί, υἱς, Ἄτῆς, quæ acclamationes juxta Bochartum l. i. c. 18. p. 479. ex Hebræo שׁן הוה שׁן תה: Deus enim ita vocatur Deut. IV. 24. & cap. IX. 3. quod sit כלה שׁן ignis consumens.

§. IX. Baccho tribuitur quoque cognomen THRIAMBVS, LYTHIRAMBVS & DITHYRAMBVS, quæ nomina stant pro uno varie solum inflexo. Sicut enim Græci Bacchum Διμήτορα & Romani Bimatrem appellant, ita eundem Syri אֲדַיִל vel præfixo אֲדַיִל vel אֲדַיִל

אֲדַיִל vel אֲדַיִל אֲדַיִל i. e. διπλάτορα vocarunt, quia fingitur bis natus. Ex his inde Græci fecere Θείαμβον, Λυθείαμβον & Διθύραμβον.

§. X. Tandem Bacchus nuncupatur etiam BRISÆVS: ita enim Cornutus in Pers. sat. i. scribit: Est Brisæus Liber Pater cognominatus &c. a mellis usu, eo quod ipse primum mel invenisse & ex favis expressisse dicitur. Bris enim jucundum dicimus. Vbi notetur, quod juxta Cornuti mentem bris sit vox Italica, nempe a brescia i. e. favus; Verum rectius nomen hoc a Chaldaico descendere statuit Bochartus l. c. p. 481. scilicet a בריו דובשא bris dobsa. id est, lacus mellis. Ita in Chaldæa paraphrasi i. Sam. XIV, 26. legitur Jonathan reperisse בריו דובשא lacum mellis. Cum idem Baccho accidisset, inde בריו דובשא Brisæus dictus est. De his omnibus epithetis consule sæpius laudatos auctores Hugonem Sanfordum, Vossium, Bochartum, Dickinsonum aliosque.

§. XI. Ex his ergo etymologiis collectu facile est, quan-

to-

topere fallant & fallantur Mythologi & Grammatici, qui non tantum hic longe alias venantur originationes; verum etiam ab ipsa rei veritate adeo recedunt, ut nonnisi inanibus conjecturis innitantur. Dandum tamen ipsis aliquid est, quippe qui Linguarum rerumque orientalium erant imperiti.

§. XII. Antequam vero Caput hoc finiamus, non possumus, quin quædam non tam memorabilia, quam horribilia de famosissimo illo Bacchi comite SILENO, qui in hoc nomen ex SCHILO Genes. XLIX. 10. turpiter fuit detortus, subjungamus, de qua turpissima depravatione videri potest *Bochartus*, part. post. l. i. c. 18. Eandem jamtum quoque ex parte & quasi per nebulam vidit *Justinus Martyr*, in Apolog. pro Christianis hæc scribens: *His verbis* (np. ex Genes. XLIX. 10. 11. 12.) *auditis, Demones DIONYSIVM filium JOVIS esse dixerunt, inventoremque vitis prodiderunt, & asinum in mysteriis (& arcanis ejus sacris) duxerunt & dilaniatum eum in caelum ascendisse docuerunt.*

§. XIII. Quod ergo (1) attinet ipsum nomen *Silenus*, hoc, ut diximus, sine ulla difficultate elicitur ex שִׁירָה (hoc vero non dicitur a שָׁרָה tranquillavit, ut multis placet; sed a שִׁיר secundinæ, & Pronom. affixo הָ pro ו, Vid. *Buxtorffii Lexicon*), sicuti ex שִׁיר i. e. canticum, Phœnices שִׁירָן & Græci Sirenes fecere.

§. XIV. (2) De *Schilo* dicitur, illius fore יְקָהָת עַמִּים *Doctrinam* (ita *Bochartus* l. c. exponit) seu obedientiam populorum; *Silenum* quoque valde fuisse doctum ajunt. De altero orbe enim mirabilia narrat apud *Ælianum* var. hist. l. 3. c. 18. de morte, apud *Plutarchum* de Consol. ad Apollon. de principis rerum, apud *Virgilium* Eclog. VI.

§. XV. (3) de *Schilo* sive (quod aliis magis arridet) de

Juda vel potius ejus posteritate terram Canaiticam occupatura dicitur, eum ligaturum ad vitem asellum suum & ad generosam vitem pullum asinae suae: Silenus etiam ὅτι οὐκ τὰ πολλὰ ὀχόμενος, id est, asino plerumque vectus perhibetur.

§. XVI. (4) Lavaturum eum in vino vestimentum suum & in sanguine uvarum operimentum suum, praedicat sanctus Patriarcha: Silenus etiam calcandis uvis fuit addictus.

§. XVII. (5) Schilo sive Judae oculi dicuntur rubere ex vino: Silenum quoque semper fingunt ebrium &, ceu Virgilius Ecloga VI. v. 15. ait,

*Inflatum hesternis venas, ut semper, Jaccho.*

Hoc videmus in illis, qui ebrietati sunt dediti, horum venae intumescunt & facies & oculi sunt rubicundi, quod Salomon etiam indicat Prov. XXIII. 29. 30. למי חכלי'ות עינים: *cui rubor oculorum? morantibus super vino.*

§. XVIII. (6) Schilo seu Judae posteris dentes ex lacte albescent, juxta allatam prophetiam: Sileno quoque pro cibo caseus & lac fertur fuisse. Ita Eurip. in Cyclop. v. 136.

*Καὶ τυρὸς ὀπίσας ὅσι καὶ βοὸς γάλα.*

*Coagulatus caseus est & lac bovis.*

Quotusquisque est, qui ex dictis non videat, quam occupatissimus diabolus fuerit, ut ea, quae ad salutem hominis pertinebant, divinitusque praedicta fuerant, in ludibrium converteret, profanaret, & hac sub specie miseris gentilium animis instillaret. En perniciosissimam infernalis serpentis astutiam!

### CAPVT III.

## SATVRNVS SVB NOMINE

## ADAMI PROTOPLASTI FVIT

## CVLTVS.

*Sum-*

S V M M A R I V M.

*Saturnum eundem esse ac Adamum probatur (1) ab aureo seculo Saturni imperio attributo. (2) a nomine Saturni. (3) quia primi homines pro Diis sunt habiti. (4) quia Saturnus ab imperio fuit pulsus. (5) quia agriculturae studuit. (6) quia vocatur filius celi. (7) quia Saturno Tellus mater adscribitur.*

§. I.

Quemadmodum ex sanctissimis supremi Numinis nominibus; ita in primis etiam ex variis nominibus propriis in Scriptura S. occurrentibus, quæ celebrioris famæ majorisque admirationis fuerunt, κακοζυγία gentilium nobis innotescit, ubi illa etiam depravarunt ac Deastros suos sub iisdem coluerunt. Exemplo se sistit primum ipse ADAMVS omnium, quotquot vivunt, hominum parens. Hunc sub SATVRNO, antiquissimo scilicet, delitescere, nemo facile negabit, si subsequencia consideraverit argumenta.

§. II. (1) Omnia, quæ de aureo Saturni seculo Poëtæ in primis fabulantur, non invita applicatione ad statum Adami primum h. e. integritatis, accommodari posse quilibet facile videt. Hanc vero auream Saturni aetatem describunt *Hesiodus* lib. 1. ἐργων v. 169 sqq. *Tibullus* lib. 1. eleg. 3. v. 35-49. *Virgil.* l. 1. Georg. v. 125. sqq. *Lucretius* lib. 5. v. 925. & alii, inter quos etiam graphice admodum eundem depinxit *Ovidius* lib. 1. *Metamorph.* cuius versus hic adducere lubet:

*Aurea prima sata est ætas: quæ vindice nullo  
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat:  
Nondum præcipites cingebant oppida fossæ:  
Non galeæ, non ensis erat.*

Et porro:

*Ipsa quoque immunis, rastrisque intacta, nec ullis  
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus:  
Contentique cibus nullo cogente creatis*



*Arbuteos fœtus, mōntanaque fraga legebant.  
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris  
Mulcebant zephyri natos sine semine flores:  
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.*

§. III. (2) Si Saturni nomen inspicimus, hoc Hebraicæ originationis esse non improbabile videtur. Vox enim *לטר* idem quod *latere* significat: Saturnus autem quam maxime dicitur latuisse, cum Jovem fugeret, de quo *Ovidius* lib. I. *Fast.* it. *Virgil.* lib. 8. *Æneid.* adeo ut *Latium* quoq; suum nomen inde feratur esse sortitum. Adamus etiam *latere* studuit gustato arboris fructu tam severe sibi interdicto.

§. IV. (3) Ante Saturnum nullus Deus gentium fuisse perhibetur, primos autem homines pro Diis fuisse habitos notum est.

§. V. (4) Imperium porro primus Saturnus dicitur usurpasse & postea illo vicissim pulsum esse. Adamo nostro etiam imperium in universum & omnia animantia divinitus fuit concessum, sed postea valde imminutum, ipseque Paradiso ejectus fuit.

§. VI. (5) Adamus felicitate illa per suam culpam amissa agriculturam exercuit: Saturnus quoque dicitur eam invenisse pariter & coluisse; unde cum falce mesforia quoque pingebatur.

§. VII. (6) Adamus *Dei Filius* vocatur ab Evangelista *Luca* cap. III. v. 38. in Genealogiæ Christi recensione: Saturnus quoque *Cæli filius* appellatur.

§. VIII. (7) Adamus ex argilla fuit formatus: Saturno etiam *Tellus* tribuitur mater. Hisce adductis rationibus tantam vim inesse putamus, ut quemlibet facile in assensum pellicere valeant. Vid. *Vossium* de Idololat. lib. I. cap. XVIII. p. 72. it. *Job. Conr. Dietericum* in *Antiq. Bibl.* p. m. 746.

CAP.

CAPVT IV.  
GENTILES VARIAS DEAS SVB  
NOMINE EVÆ ET IN PRIMIS PAN-  
DORAM HABVERVNT.

SVMMARIVM.

*Rhea. Isis. Ceres. Pandora, quæ Ate etiam vocatur. Hujus cum  
Eva comparatio instituitur: a fabricatione Pandora: a Pan-  
dora omnes calamitates provenisse & inter has solam spem reman-  
sisse, Poetæ fabulantur. Describitur ex Hesiodo hominum pri-  
morum vita. Quare genus fœmineum apud Poetas male audiat.  
A Pandora sexum sequiorem esse ortum Poetæ dicunt. Ante  
Pandoram non fuisse fœminas, gentiles crediderunt. Testimonia  
adducuntur Matthiæ Garbitii Illyrici, Vlpii Franckerensis, item  
ex la Morale Dn. D. Caroli Cassæ.*

§. I.

Quemadmodum Saturnus sub nomine Adami, ceu  
præcedente capite fuit ostensum; ita varia etiam  
Deæ sub nomine EVÆ latuerunt, inter quas est RHEA,  
quæ communis omnium viventium mater appellatur; ISIS,  
quam ideo etiam ab Hebr. אִשִּׁת dictam volunt, de qua  
vide Peucerum de divinat. Extispicum p. m. 210. cujus mari-  
tus OSIRIS antiquissimus Ægyptius Adamum representa-  
vit; CERES ob repertionem frugum, de quibus omni-  
bus consule Vossum de Idololatria. Nos harum confide-  
rationem jam seponemus & PANDORAM, quæ alias apud  
Homerum ATE vocatur, in medium adducemus, visu-  
ri quomodo hæc cum EVA, prima fœmina, conveniat.

§. II. Hesiodus dicit, Pandoram in pœnam furto subla-  
ti ignis fuisse fabricatam & Epimetheo obtrusam: quod ipsum  
ex decerpto arboris scientiæ boni & mali fructu promanas-  
se non est improbabile.

§. III.

§. III. Hanc Pandoram ita venustam fuisse Poetæ tradunt, ut nullum gratiarum & blanditiarū genus ipsi defuerit: Similiter & Eva nostra citra omne dubium non tantum fuit formosa & venusta, sed etiam blanditiæ morum Adamum inescavit.

§. IV. Apprime huc facit, quod Pandora omnis generis calamitates & mala ad homines secum attulisse feratur, sola duntaxat SPE non sublata, sed in pixide remanente. Hinc *Hesiodus* lib. I. ἐργων v. 90. sqq. factum esse scribit, ut homines, qui primum vixerunt super terram sine omnibus malis & difficili labore, sine omnibus morbis senectutemque afferentibus, mox & mortales in afflictione consenescant & infinita mala ipsis sint illata, adeo ut tam terra quam mare plena sit malorum, & morbi tam interdiu quam noctu homines sponte invadant. Est videlicet hoc lapsus ille, quo Adam ab Eva persuasus divinum mandatum transgressus fuit, quam ἡδύβασιν infinitæ miseriæ exceperunt, atque adeo sicuti mulier seducta causa transgressionis fuit, ceu *Apostolus* I. Tim. 2, v. 14. loquitur: ita a Pandora omnium malorum originem & scaturiginem multi ex priscis gentilibus arcessunt.

§. V. Vnde est, quod foemineum genus tam male apud Poetas audiat; Apud *Hesiodum* in *Theog.* v. 592. p. m. 165. γένος ὀλώϊον & πῆμα μέγα, h. e. genus perniciosum & nocumentum ingens, vocatur. *Menander* apud *Lucianum* in *amoris* tom. 4. p. 225. appellat id μικρὸν ἔθνος, ab aliis Poetis aliter diffamatur.

§. VI. A Pandora dicitur foemineum genus esse ortum: Sic *Hesiodus* in *Theogonia* v. 590. p. m. 165.

Ἐκ τῆς γὰρ γένος ἔστι γυναικῶν θηλυτεργίων.

h. e. ex illa enim genus est mulierum foeminearum.

Et ante illam foemineum sexum non extitisse prisci gentiles crediderunt, ceu *Pausanias* refert in *Atticis*. Quod autem per  
ve-



veræ historiæ corruptionem de solo foemineo sexu a Pandora propagato gentiles nugati sunt, id simpliciter ad univ-  
sum genus humanum adeoque sexum quoque virilem potest  
referri. Est videlicet Eva  $\eta\text{-}\lambda\text{-}\mu\text{-}\nu$ , mater omnium vi-  
ventium, ceu expresse vocatur Genes. III. 20.

§. VII. Huic sententiæ favent multi, inter quos est  
Matthias Garbitius Illyricus, qui ita schol. in Hesiod. p. 43. scri-  
bit: *Fabula Promethei videtur in multis quadrare ad illa, quæ in  
sacris literis traduntur de lapsu primorum parentum & de illa indi-  
gnatione divina propter illam inobedientiam & defectionem &c.* Item  
Vlpus Franckerensis in Hesiod. p. 79. *Poeta noster fingit  
Prometheum offendisse Jovem, hinc mundo tantorum causa malorum  
fabricatur Pandora, mittitur in terram pixidem afferens Epimetheo  
omni malorum genere refertam, quam cum ille aperuisset ignarus ali-  
cujus doli, illa evolarunt, ac totam terram occuparunt. Habemus  
fabulam Poeta dignam, sed revera Pandora nihil nobis nocuit. Eva  
nostra fuit Pandora: si enim illa non peccasset, aut ad peccatum per  
serpentem non inducta fuisset, adhuc hodie nobis cuncta nascerentur  
 $\alpha\text{-}\nu\eta\sigma\text{-}\tau\alpha$  &  $\alpha\text{-}\sigma\text{-}\omega\text{-}\alpha\text{-}\rho\text{-}\alpha$ . Hisce etiam consentientem habemus Plur.  
Rever. ac Excellentiss. Dn. CAROLVM CAFFAM  
Theol. Doct. Italicæ ac Gallicæ Linguæ hac in Salana  
P. P. meritissimum, qui elegantissimo libello, quem vocat  
*la Morale Discorso I. §. 18.* hæc habet: *I. Poeti dicono, che 'l som-  
mo Iddio habbia dato all' huomo tutti sorti di bene, rachiusi in una  
botte, commandandogli di guardargli diligentemente: Mà la fe-  
mina aprendo la botte, tutti quei beni se ne volarono in cielo, non re-  
standogli, che la sola speranza; Additur jam: Poi che havevano  
udito parlare della caduta d' Adamo, della seduttione della femina,  
e della speranza di salute, che Iddio loro propose.**

#### CAPVT V.

### IOVIS SVB CAINO FVIT ETIAM CVLTVS.

#### SVMMARIVM.

Plures Joves fuerunt. Jovem esse Cainum probatur (1) a nomine. (2)  
D ab

ab ædificatione urbis. (3) quia, ut videtur, a posteris pro patre habitus. (4) a primigenitura. (5) a timore ob fratricidium. (6) ab improbitate. (7) a sacrificio. (8) ab inventione artium. (9) a matrimonio cum sorore inito. Tandem Pincieri testimonium affertur.

§. I

Sub primis hominibus gentiles multos Deos habuisse, ac coluisse, in dubium qui vocet putamus esse neminem. Inter hos primos autem homines etiam est CAIN, ex quo ipsos Jovem suum antiquissimum formasse non est quod ambigamus. Dicimus: *antiquissimum*; plures enim fuisse Joves notum est ex *Vossio* *Idololat.* l. I. c. 14. p. 58. *Natali Comite* lib. 2. c. 1. p. 85. aliisque.

§. II. Ad thesin vero nostram probandam sequentes adducemus rationes, quæ, (sicuti in præcedentibus Capitibus,) licet divisim & singulatim non adeo firmiter concludant, conjunctim tamen & collective thesin satis probabilem reddere speramus.

§. III. (1) Cain in votiva matris suæ exclamatione vocatur  $\Psi\text{N}$   $\eta\eta\eta$ ; ita gentiliū Jovem Cainū representantem inde nomen accepisse non est improbable: id quod supra cap. I. monuimus.

§. IV. (2) Cain primus memoratur ædificasse urbem, cui a filio suo nomen dedit, Gen. IV. 17. Jovis etiam urbium & societatis civilis præses fuit habitus.

§. V. (3) post Saturnum a Jove genus hominum dicitur esse fatum: & verisimile est Cainum quoque a posteris suis tanquam patrem fuisse honoratum.

§. VI. (4) Jovis primigenitus Saturni fertur: & Cainum primigenitum Adami esse, quem latet?

§. VII. (5) Jovis a Græcis  $\Delta\epsilon\upsilon\varsigma$  fuit appellatus, quæ vox postea in  $\text{Ze}\upsilon\varsigma$  mutata fuit: Vox autem  $\Delta\epsilon\upsilon\varsigma$   $\delta\tau\omicron$   $\tau\tilde{\epsilon}$   $\delta\acute{\epsilon}\omega$  h. e. *timeo* a nonnullis derivatur: Quod ipsum Caino optime convenit, ut qui fratricidio patrato conscientiaque mordente a DEO cadem ulturo vehementer sibi metuebat.

§. V.

§. IIX. (6) sicut Cain improbissimus fuit, adeo ut fratricidium etiam committere non fuerit veritus; ita Jovis malorum & scelerum publice perpetratorum primus auctor fuit: ceu ipsum sua scelera fatentem inducit Homerus Iliad.

§. IX. (7) Cainus omnium primus sacrificiū Deo obtulisse memoratur: Jovis etiam primus cœlo sacrificasse dicitur.

§. X. (8) Caini liberi & nepotes fuerunt artium inventores; Jovis liberi quoq; feruntur artes reperisse.

§. XI. (9) Jovem sororem suam Junonem in uxorem duxisse gentiles ferunt: id quod & Cainum fecisse constat.

§. VII. Hisce non possumus non annectere *Joh. Pincieri* verba 2. ænigm. p. 178. a *J. C. Dieterico* in *Antiq. Bibl.* allata, quæ huc maxime faciunt, sub *Abele* *Prometheum* & *Caino* *Jovem* latuisse: *Cainus* & *Abel* fratres in *Scriptura S.* appellantur: *Jupiter* & *Prometheus* secundum *Ethnicos* etiam fuerunt consanguinei. Hi cœlo sacrificium fecisse dicuntur; illi Deo. *Abel* victimam petiit ex gregibus suis; *Prometheus* bovem primus occidisse perhibetur, h. e. immolasse. *Abelis* sacrificium acceptius fuit Deo, quam sacrificium *Caini*. *Promethei* sacrificium a Cœlo prælatum voluit sacrificio *Jovis* &c.

Ex his itaq; argumentis quilibet colligere poterit, *Cainum* quoq; fuisse antiquissimum illum gentilium *JOVEM*.

CAPVT VI.  
THVBALCAIN EST ETHNICORVM  
UVLCANVS.

SVMMARIVM.

*Probat* ab utriusque nominis convenientia: a metallorum tractatione: (*Atergatis* seu *Dercetis* quæ.) *Afferuntur* testimonia *Vossii*, *Schedii* & aliorum. *Quid* *Græcorum* *Ἡφαιστος* & unde.

§. I.

**V**ULCANVM cum THVBALCAIN, qui Hebraice חובל  
וּפּ vocatur, convenire plurimi inter se conveniunt. Quæ  
nomina si obiter saltim inspicimus, anagrammatismum invicem non multum discrepantem deprehendimus. Accedit,

quod sicut Thubalcaino ars metalla tractandi Genes. IV. 22; ita etiam Vulcano inventio earundem artium adscribatur, ut inter alios bene observavit Vossius lib. I. de Idololat. cap. 16. p. 65. ita scribens: Unde Vulcanus, nisi ex Thubalcainus, præter mutationem vocalis B, ut fieri solet, in V converso (quod supra vidimus) & principe syllaba recisa, quomodo ex Atergatis est Dercetis (unde & Astarte Sidoniorum Dea. I. Reg. XI. 5. עשתרת, Assyriis Atergatis, Græcis Δερκίτις, Anglis Eostre dicta, a qua Germ. Ostern esse Beda ait, ut ex Clavero Germ. antiq. refert Becmannus de orig. Lat. Linguae p. m. 266.) item ab ἀμέλγω mulgeo, ἀ γάλακτα lacte, ἀ γερα rura atque in aliis multis.

§. II. Huic sententiæ etiam pollicem premit Elias Schedius de DIs Germ. p. 65. Ni fallor, inquiens, Vulcanus hic idem erit, qui Thubalcain, qui Genes. IV. 22. arma bellica, ætariam, feramentariam invenit. Sic enim Hebraica veritas habet: וצרה גם

היא ילדה את תובל קן לטש כל חרש נחשת וברזל:  
Literis autem quibusdam abjectis integrum nomen Vulcani resultat. Qui juxta Diodor. Siculum ferri, æris, argenti, auri, omniumq, quæ igne fabricantur, artem invenisse fertur. Vid. Antiq. Bibl. J. C. Dieterici p. m. 750. & in his plures hujus sententiæ fautores.

§. III. Bochartus part. II. Geogr. l. I. c. 12. etiam Græcum Vulcani nomen Ἡφαίστος vel, ut Dorice, Ἀφαιστος Hebraicæ seu Phœnicicæ originis esse statuit, nimirum ab אב אשתא, quod est pater seu inventor ignis; quia, ut Græci fabulantur, invenit ignem & artes quæcunque per ignem aguntur. Sed cum spatii ratio sit habenda, placet huic Dissertationi finem hic imponere, reliqua, quæ adhuc addenda erant, Capita hac vice contrahentes in sequentia

#### COROLLARIA:

- I. NOACHVS cum tribus filiis SATVRNVM ejusq; tres filios orbis imperium inter se dividentes repræsentat: Chamus Jovem; Japhet Neptunum; Sem Plutonē.
- II. Noachum JANVM & BACCHVM etiam referre credimus.
- III. Ex MOSE eundem Bacchum ortum esse non dubitamus.
- IV. An Deorum gentilium nomina in sermone, scriptis & carminibus Christianorum sint usurpanda?

#### CLAUDIMVS

ex Psalmo CXV. I.

לא לנו יהוה לא לנו כי לשמך תן כבוד:

1077

m.c.

